

756295

DUPLUM VENDITUM SZ
TENTAMEN
PUBLICUM
EX LOGICA
IN REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE PESTHINENSI
EXHIBITUM

Anno M.DCCCXII. Mense Augusto,

EX

PRAELECTIONIBUS

STEPHANI GEORGII SZÜTS,

In Regia hac Scientiarum Universitate Phi-
losophiae Professoris publ. ord.



PESTHINI,
TYPIS MATTHIAE TRATTNER.



DEFENDERUNT.

D. D.

GÁLY PETRVS, Stip. Reg.

KÁLLAY AVGVSTINVS de Nagy Kálló.

KOVÁTS JOSEPHVS de Rigyicza.

NEDECZKY FRANCISCVS de eadem.

SCHEDIVS LVDOVICVS.

VLASITS CAROLVS de Almás, Stip. Reg.

Philosophiae primum in Annum Auditores.

I.
Logica leges, quas mens humana in cogitando sequitur. tradit: partes eius sunt: analytica, et methodica.

II.
Recensere leges maxime generales mentis cogitantis.

III.
Origo idearum singularium alia est, alia communium: in his efformandis mens comparatione, abstractione, et compositione utitur.

IV.
Objecta, horumque ideae differunt inter se per notas, quae ipsae, spectata earum quantitate, qualitate, relatione, ac modo in varias Classes abeunt.

V.
Objectum indeterminatum logice determinare, aut vicissim quod determinatum est, minus determinatum reddere.

VI.
In qualibet idea discernenda est *Comprehensio* ab ejusdem *Extensione*; hae enim ad se invicem sunt in ratione inversa. Consideratio et hujus, et illius varias suppeditat idearum Classes.

VII.
Spectata qualitate idea quaevis *clara* est, vel *obscura*; tam claritas, quam obscuritas suos habent gradus: unde quaeenam ideae *distinctae*, aut *Confusae*; quaeenam *completae*,

aut *incompletæ* ; *adaquatæ* , aut *inadaquatæ* sint , facile intelligitur.

VIII.

Ideæ spectata extensione inter se collatæ alia *latiores* , *angustiores* alia ; *superiores* sunt , aut *inferiores* , *subordinatæ* , aut *coordinatæ* . Unde , quid *species* sit , quidve *genus* , et hoc quotuplex , quove hæc modo efformari debeant , item quid *differentiæ genericæ* , *specificæ* , aut *numericæ* nomine veniat , facile determinatur.

IX.

Quodsi vero in idearum ad se invicem relatione comprehensio veniat in censum : ideæ erunt , *identicæ* , aut *diversæ* , hæc vero *consentientes* , aut *oppositæ* , *contradictoriæ* , aut *contrariæ* .

X.

Ideas nostras aliis manifestamus per signa , quæ *naturalia* sunt , vel *arbitaria* : ad hæc referuntur *termini vocales* , totque eorum sunt genera , quot idearum . Sunt leges quædam sermonis pro usu tam civili , quam philosophico .

XI.

Evolvere notionem , materiam , et formam , partes item iudicii , et propositionis .

XII.

Judicium quodvis spectata quantitate *singulare* est , vel *commune* : hoc iterum *definitum* : et quidem *universale* , aut *particulare* ; vel *indefinitum* . Iudicii cujusvis indefiniti quantitatem determinare .

XIII.

Si qualitas iudicii consideretur, *adfirmans* est, vel *negans*. Iudicium *infinite* adfirmantibus est accensendum.

XIV.

Relatio in iudiciis considerari potest tam interna, quam externa: ratione interna iudicium est *categoricum*, *hypotheticum*, aut *disiunctivum*; *simplex*, aut *compositum*.

XV.

In relatione externa expendi potest vel quantitas: Unde iudicia *subalterna*; vel *qualitas*: Unde iudicia *aequipollentia*, aut *diversa*; item *disparata*, et *opposita*; in his vero *Contradictoria*, *Contraria*, et *Subcontraria* suos habent explicatus.

XVI.

Cuilibet propositioni contradictoriam reformare.

XVII.

Ad relationem iudiciorum pertinent etiam conversio eorum, et contrapositio, suis singulae legibus adstrictae.

XVIII.

Si modum, quo mens praedicatum ad subjectum refert, spectes, iudicia alia erunt in *materia possibili*, alia in *impossibili*: alia *assertoria*, et quidem in *materia necessaria*, vel *contingente*.

XIX.

Recensere leges dijudicandi veritatem iudiciorum in genere, tum speciatim *Categoricorum*, et *hypotheticorum*; *disiunctivorum* item, et *copulativorum*.

XX.

Si propositio subalternans vera est, vera quoque est ejus subalternata; at si illa falsa est, non etiam haec. Vicissim si subalternata falsa est, pariter subalternans falsa esse debet; non autem si subalternata vera est, etiam subalternantem veram esse oportebit.

XXI.

Propositiones contrariae non possunt simul esse verae: possunt tamen simul esse falsae in materia contingente.

XXII.

Propositiones contradictoriae nec simul verae, nec simul falsae esse possunt.

XXIII.

Evolvere notionem, materiam item, et formam, partesque ratiocinationis generatim; tum speciatim leges ratiocinatorum immediatorum.

XXIV.

Évolvere naturam, legesque *Syllogismi* Categorici, hypothetici, ac disjunctivi; item *Enthymematis*, ac *Epicherematis*.

XXV.

Determinare notionem, ac leges *Poly-syllogismi*, et *Soritae*.

XXVI.

Explicare naturam, legesque *Dilemmatis*.

XXVII.

Notionem, legesque *Inductionis*, tum *Analogiae* deducere.

XXVIII.

Definitionis logicae naturam, legesque enucleare.

XXIX.

Percensere leges Divisionis logicae; item partitionis.

XXX.

Deducere leges demonstrationis a *priori*, et *posteriori*; item *directae*, et *indirectae*.

XXXI.

Adsignare Criteria detegendorum Sophismatum.

XXXII.

Perspicuitas, quae habetur per sensum internum, est criterium veri metaphysice certum.

XXXIII.

Perspicuitas etiam, quae habetur ex recta terminorum apprehensione; item legitima demonstratiene, est criterium veri metaphysice certum.

XXXIV.

Existit Communis naturae sensus, estque Criterium veri infallibile.

XXXV.

Testimonium sensuum externorum, suis Characteribus instructum, est Criterium veri physice certum.

XXXVI.

Auctoritas divina metaphysicam, humana vero plena moralem parit certitudinem.

XXXVII.

Percensere leges dijudicandae auctoritatis humanae.

XXXVIII.

Expendere probabilitatem tam absolutam, quam relativam.

756295

—(8)—

XXXIX.

Modi cognitiones nostras
ginarii sunt: experientia, et m
que rite instituendae leges per

XXXX.

Non Omnia ipsi aut exp
pria meditatione adsequi possu
ta ab aliis discenda, audita
Utrique suae sunt leges.

XXXXI.

Sua pariter sunt colloqu
disputantibus officia, legesque
finem intentum adsequantur: l

XXXXII:

Adferre varios errorum fo
remedia.



EKD. 1940/2592. GYSEN

XXXIX.

Modi cognitiones nostras ampliandi originarii sunt: experientia, et meditatio. Utriusque rite instituendae leges percensere.

XXXX.

Non Omnia ipsi aut experiri, aut propria meditatione adsequi possumus. Hinc multa ab aliis discenda, auditu, aut lectione. Utrique suae sunt leges.

XXXXI.

Sua pariter sunt colloquentibus, uti et disputantibus officia, legesque tenendae, ut finem intentum adsequantur: has percensere.

XXXII.

Adferre varios errorum fontes, eorumque remedia.

SKD. 1940/2592. G

756295